

h. 87, 20.

(X 207 4333)

Ye
372

ORATIO
De
Misnia, Saxo-
niaeque calamitatibus, &
Torgaviensis Civitatis praecipue,
à Suecis nimis quam hostiliter
illatis :

Habita publicè

à

JOHANNE MEISNERO Torgens.

In Auditorio Majori b. 2. vesp.

Dominica V. Post Trinitatis

Anni c1o 1o C XXXVII.

Witteberge Typis bared. Ambrosii Rothi Acad. Typogr.



IN ORATIO

MILLER, 2220-

inopu... &

Torgvient... Civitas...

in... d... d... d...

in...

JOHANNHE METZNERO Torgv...

in...

Dominica V. Post Trinitatis

Anni de OXXXVII


Wanderg... d... d... d...



VIRIS AMPLISSIMIS
PRUDENTISSIMIS ET SPECTA-
TISSIMIS

Dn. Coss. Cæ-
terisq; Senatoribus Reip.
TORGENSIS integerrimis, Domi-
nis, & Patronis suis colendis

S. P.

 I, quàm usitatum hætenus, opti-
mis quibusq; inferre calamitates,
tàm detestandum esset, literarum
monumentis consignare, & poste-
ris tradere, ego quidem veniam
certè aliquam meriturus eram, si supersede-
rem, & carcinoma hoc patrie extra memori-
am hominum deducendum potius, & iis, quibus
poterit, diris & ominibus, prosequendum ultrò
existimarem, si tàm in nostrâ potestate esset ob-
livisci, quàm tacere: Sed, cum ne nostris qui-
dem temporibus, incuriosa suorum ætas, nō gra-
tiâ ullâ, aut pretio ducere soleat, ut quæ aliis me-

A 2

mo-

moratu digna egere, alii ne per silentium inter-
cidant, & oblivione altâ sepeliantur, doctrinæ
studiis caveant, quæ eò graviore præcipitio cum
imperiiis sæpè, cum quibus creverunt, ruere aut
occidere videmus, quo minori curâ foventur,
itaque, cum non sine pietatis iacturâ memori-
am ipsam cum voce perdi persuasum haberem,
vel inconditâ ac rudi oratiunculâ priores ca-
lamitates, ac testimonium præsentium bono-
rum adumbrare, cum feliciter exprimere non
possem, mearum fore partium existimavi, &
solo argumento aut laudatus, aut certè excu-
satus aliquo modo ero, vel quòd salvo loquendi
audiendiq; commercio, in libertate quid restet,
non ex merito quidem descripsi, sed tantum de-
lineavi; vel quòd pietatē qualemcunque hanc
meam scripto hoc publicè testari nihil dubita-
vi. Vobis autem offerre visum, Coss. Sena-
toresq; Integerrimi, & quidem duplici de no-
mine; tum, quia debebam; ita enim omninò
existimavi semper, non me cuiquam magis de-
bere, quàm cui beneficium debeo, idq; impen-
sius, quantò minus justum illi pretium assigna-
ri potest, & sic veteres omninò habuisse, inde
manifestum est, quòd homine ingrato nil pejus
terram ferre pronunciarint; Vos verò illos
exi-

existimavi semper, quibus obstrictum me maxi-
mè sentiam; cumq; uti publicè de me meriti
estis, ita publicè testatum vellem, neque nunc
offerre vobis possem, quantum optarem ipse,
scirem autem quantum esset, quod deberem,
quod non exiguum sanè est, illud mihi sedulo
annitendum existimavi, ut ingratitude no-
tam effugere liceat. Tum, quia de rebus ve-
stris scripsi, nil enim nisi vestram illam invi-
ctam virtutem commemoravi, nil nisi vestrū
illud animi robur admirabile, quod utramque
paginam facit, invenietis. Et profectò, si ve-
rum fateri volumus, quis aut adversa fortius
exceptit? aut pro libertate magis stetit, si in
manu vestrà situm? Ut enim vestris consiliis
subnixæ Reip. est, & servata; ita tanta con-
stantiæ memoriæ, cum quâ alia comparari
fortassè à nulla potest, sempiternam conserva-
re, par erat. Etsi enim, si quis fortunam &
incrementa Urbis vestræ spectet, quæ tamen ab
indubitato principio annos plus septingentos
habet, (nam, quod unum apud nos memoriæ &
annalium genus est, Anno 15 CCCC XXXI.
Reinhardus Comes Torgensis ad Albim memo-
ratur, qui tempore Heinrichi Aucupis, quo Da-
nos, Sclavos, & Obetritos Vandalos ad mare

Alb. Cran-
zius.

A 3

Bal.

Balticum acri praelio profligavit, vixit. Et
Anno cl^o CCC XLII. Lutboldi & Jobannis: &
Anno cl^o CCC LXXXII. Bottonis: & literis An-
no cl^o CCC LXXXVII. scriptis, Henrici Comitis
de Torgau mentio fit) merito, uti homini-
bus, ita quoque regionibus suum quoddam fa-
tum esse, & quemadmodum siderum, ita quo-
que rerum vices circumagi deprehendet; pa-
rem tamen, vix sanè dixerim, an priori secula
viderint huic tempestati, quàm impia hæc, si lo-
qui licet, civilium bellorum pestis, tanquam
vastissima quædã diluvies, inundavit patriam
quaquaversus dulcissimã, ut mœsta & deserta
omnia squaliant; quanquã Anno l^o CCCCLX.
propter diuturnas, & frequentes Ungarorum,
& Vandalorum, in hanc nostram patriam in-
cursiones, pagus fuisse dicatur; At quotus quis-
que jam nostrum est, cui de fortunis suis tan-
tùm superest, ut excitare domi ruinas familie
queat? Vos verò, cum ad opprimendos conju-
rasse undique viderentur, neque in bona
tantùm, fortunasq; vestras; sed in libertatem
quoque, conscientiamq; se viretur, delegatis,
qui sinistras erga eminentes aut invisos, spar-
gerent interpretationes, aut qui, quid ultimùm
in servitute esset, suspectã cujusque conscientia,
cum

cùm curas nemo profiteri ausus, animo occultare cogeret, quæ videndi, colloquendiq; consuetudine, commune hominum jus concedit, docerent, grande patientiæ documentum dedistis, animum semper servastis invictum, libertatem vindicastis; & hoc quoque nomen vestrum, quod nostris his non contentum, etiam exteris, easq; celeberrimas per vagatum regiones est, inclitum reddidistis. Atque hæc sanè, cum sint maxima, quotus quisque est qui nesciat, quàm patientiâ injurias summas, cum nihil jam cupiditati, nihil libidini exceptam, vim & contumelias miscere, fortissimi cuiusque existimaretur, pertuleritis? Itaque cum, quo nunc enumeravi modo, non exiguum sit profectò, quod debetur vobis; ita nunc chartas hæc paucas offero, quæ meis hoc verbis testentur apud omnes, quotquot vivunt, & victuri unquam sunt deinceps, quibus cura literarum humaniorum est, eritq;. Non mole quidem, aut pretio sui pares, fateor, neque inde eas estimari par est, sed solo offerentis animo, commendare se vobis, non erubescant. Quanquam satius fortassis fore, ut domi delitescerent, putassem, nisi vestris obstare jussis, religio mihi fuisset.

Quod

Quod superest, aeternum Numen veneror, ut
sub Parentis patriæ auspiciis, res fortunæq;
vestras porrò foveat, & tueatur, ut consiliis
omnibus vestris, ad salutem Urbis universæ, be-
nedicat, vosq; sanos & incolumes diutissime
conseruet. Valete feliciter, meq; ut fecistis
hactenus, in tutelam vestram recipite. Per-
scribebam V Vittebergæ, Anno Recuperatæ per
Christum salutis cl^o 1^o C XXVIII.

V. A. & P.

Observantiß. cultor

Johannes Meisnerus.

RECTOR

RECTOR
ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS
HENNINGUS *Grosse*
U. J. D. & Professor Publicus &c.
Civibus Academicis S. D.

Nemo rectius beneficium æstimat, quàm qui recogitat fortunam probè, quâ ante fuit jactatus. Nam cum complectitur animo imaginem calamitatis præteritæ, tum demum bonâ satis fide intelligit, quantum illius meritum sit, qui sublatâ miserâ veteri benignioribus fatis ipsum donavit. Quare & nos in præsentî, cum magnitudinem beneficii divini colligere volumus, quod liberati atrocissimo hoste ad otium aliquod & quietem aspirare denuò cepimus; reputanda præcipuè animo sunt, quæ acerbissima hætenus passi sumus. Quæ quia nec cogitando aliquis recensere secum potest, quin obstupescat illicò, & instar attoniti hæreat; ecquis inveniat, qui explicare dicendo se posse unquam præsumat? Poeta quidem ait:

— *ἔτι δὲ πᾶν ἔδουτ' ἀμαυρῶσαι τὸν ἐχθρὸν.*

— *Oportet autem quidvis facientem labefactare hostem.*

Sed rectius illos egisse putandum, qui ipsa arma quoque certis quibusdam inclusere terminis, legesque

B

ad eò

adeò atque officia constituere, quæ adversus eos, à quibus injuriam accepisse videaris, servanda essent. Ita enim gerenda res contra hostes est, ne humanitati indixisse bellum, & ipsa naturæ etiam jura evertere velle videamur. Quare & Seneca crudeles potius, quàm justos appellandos censuit, *qui puniendi causam habent, modum non habent.* Nam qui progreditur latius puniendo, quàm jura pertinent, jam non injuriæ ultor amplius, sed auctor existit. Cujus quidem manifestissimè reus est hostis. Namque qui tantâ impotentiâ animi sævierit hætenus, neque ab ullâ unquam re profanâ juxta aut sacrâ abstinuerit manum, quin ferro aut flammâ contaminaret, everteret ac devastaret; quem juris colorem saltem prætexere impietati ac tyrannidi suæ potest, qui pietatis tamen & libertatis speciosa nomina bellis suis prætendit?

*Quicumque versis æquat urbibus solo
Ædes Deorum, & sacra cineribus loca,
Insanit, & idem mox mali oppetet genus.*

Euripides ait. Polybius quoque, gravissimus auctor, cum Libro quinto differit, quousque sævire in hostium res jura concedant, eos malæ & furiosæ mentis esse pronunciat, qui ea etiam perditum eunt, quæ nullâ ratione ad bellum faciunt; templa cum maxime, & statuas, & ornamenta hujusmodi alia, quæ magis religioni aut cultui, quàm rebus gerendis inserviunt. Quod si pagani homines furorem hujusmodi detestati tantoperè sunt; quo tandem modo excusari in homine Christiano potest? Hoc itaque tam crudeli atque immani hoste quod liberati sumus,

mus,

mus, & recreati non nihil post tantas miseras & calamitates, omninò DEI bonitati ascribendum est. Quam eâ de causâ postea Oratione publicè celebrare Ornatissimus Juvenis JOHANNES MEISNERUS TORGENSIS in animum induxit. Nam quò majori periculo hætenus exposita patria ejus fuit, cùm ei tot menses præcipuè incubaret hostis, eò magis ad id se obligatum existimat, postquam ex mediis faucibus ereptam mirificè & conservatam non sine admiratione nunc intuetur. Digna est ejus pietas vestro studio: & quia Oratio ipsa etiam ita conscripta ac elaborata est, ut ingenium hominis, & literarum cultum, faciliè vobis approbare posse videatur: operæ pretium speramus facturos, si recitationis illius causâ frequentes postea, finitis sacris pomeridianis, in Acroaterio majore conveniatis. Ita igitur facite, & patriæ afflictissimæ statum seridò commendare Deo, & plenam ab eo impetrare pacem assiduis precibus nolite desistere. P.P. Dominicâ V. Post Trinitatis Anno recuperatæ gratiæ clò
B C XXVII.



Quod precati à Supremo Numine sumus, **R E C T O R** Magnifice, Vosq; Patres Academici, Viri admodum Reverendi, Amplissimi, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimi; Et tu, concussæ & redivivæ patriæ residua spes, nobilissima & literatissima juvenus: Quod, inquam, precati sumus à Supremo Numine, præcipuè, cum non armis tantum, sed animis etiam, acerrimus & ferocissimus hostis, furens audaciâ, atque hoc unum agens, ut regioni nostræ, patriæq; aut semper metuendus, aut certè pestem, flammamq;, quam jamdiu in nos machinatus, inferret perpetuam, si non meritas lueret pœnas (quibus tamen nondum elapsus est) saltem pelleretur terrâ, & non sine notâ quadam excedere cogeret: Abundè illud consecuti sumus, & jamdudum tenere nos arbitramur, quæcunque hætenus votis præcepimus. Solvit fidem Immortale Numen, & quicquid antea in nos paullò inclementius consuluisse videbatur, non levi certè felicitate compensat. Elapsus turpiter hostis est, & eodem, quo occupaverat, impetu, excessit, ut ex conceptâ optimè spe, nihil præter desperationem Imperator summus, & qui vincere non tantum didicerat, sed & pluribus successibus consuêrat, domû, & ad suos reportaret. Quæcunque gesta hætenus, quid aliud, quàm servitutem acerbissimam, aut certè ignominiosam pacem, si ruinam patriæ, & fatalem interitum excipias, minitabantur? Annon Belzigium, finitimiq; homines, fato suo, ac calamitate, abundè, quid impofterum sperandum nobis esset, docuerunt?

euerunt? Annon & nobis fortunam suam, ipsâ mi-
seratione commendabant? Annon plateæ, annon
vici toti, funeribus suorum oppleti, quos aut hosti-
lis furor, suppliciiis destinavit suis, aut, qui se illis sub-
duxissent, tanquam umbræ, & tantum non cadave-
ra, oberrabant? annon eorum ora, vultusq; , mœ-
rentis imaginem patriæ, vastitatis & solitudinis no-
tas, & indicia, repræsentabant? Annon vagabantur
passim exules, extorres, ipsis patriæ cineribus paren-
tantes, aut si mitius ageretur cum illis, superstites,
(nempe, ut superessent, qui meminisse possent) qui
cæterorum sortem atque calamitatem, haud obscu-
rè ominabantur. Interea omnes nos, inter spem &
metum, & uti quisque hosti volens, aut lætari, aut
consilium quærere; nos, tantos successus, tantamq;
inauspicati belli felicitatem invidebamus, & tùm lu-
gendum statuebamus, cùm sentiremus mala potius,
quàm timeremus. Vidimus, non sine ingenti ani-
morum motu, fractum prius, & non exiguâ sui parte
imminutum, postea verò, verso in fiduciam metu,
quâ nudum patria latus ostentabat, congenitâ sibi fe-
rociâ, nec minori audaciâ irrumpentem, fremen-
tem minas, incendia, mortes, & tantum non extre-
mum exitium spirantem. Mox omnia collucere
flammis, urbibus, pagisq; indemnatis ferro, aut flam-
mâ jus dici, ne ullum sceleribus suis vestigium exstet,
cùm terris amplius non caperentur, favillas in auxi-
lium advocare. Dedimus vela indignationi, dedi-
mus iræ, dedimus dolori, cùm videremus, nobis-
metipsis insultare, mœnibusque obequirare nostris,
quanquam majore forseàn detrimento suo, quàm
emolumento, cum ipsos non minus oppugnaret fa-
mes,

mes, quàm nobis ipsorum impotentia facefferet ne-
gotium. Vidimus denique, vidimus, quæcunque
spe, ac animis invaserat, armisq; occupârat, fatis ita
urgentibus, non certè iisdem, quibus occupârat, au-
spicijs, exutum, & turpissimâ, an trepidatione, an fu-
gâ, incertum, nempe ut timere tandem disceret,
quamdiu timeretur, cum sibi non tuta videret ple-
raque, fugientem reliquisse, dedecusque & ignomi-
niam certam sibi abstulisse. Vidimus subtristi, &
plenissimo minarum vultu, & supervacuis, nihilque
profuturis lachrymis, ac votis, fugientes defensores
suos longissimè prosequi cives, vindiciasque, quibus
tot mensium calamitates ulciscerentur, deposcen-
tes. Tribuendum quidem non parùm Ducibus no-
stris est, qui, quo impetu, quâ magnitudine mentis,
Reip. consulere certi, pericula summa subierunt?
quâ providentiâ, urbe, imò totâ regione, ab hosti-
bus obsessâ, hostes ipsos castris suis obsederunt, con-
cluserunt, com meatibus excluderunt? Sed enim
Supremum, & quod omnia moderatur Numen, eo,
quo extrema minabantur, gradu, præcipitare decre-
verat, fataleq; jam tempus illud, quo immanissima
hæc Stygiæ crudelitatis exempla vindicaret, appete-
bat. O cæca hominum consilia! Quippe eos, qui
solis minis prius, quibus accesserunt postea & male-
facta, nostros in sua vota compelli posse sperabant,
jam præ trepidatione, vix consistere ausos, non o-
mninò inviti credimus. Equidem, ita ego existimo,
& sic animum induco meum, sicut ad nocturnos
quosdam lemures trepidant in tenebris pueri, &
metum concipiunt; ita, cujus semel metus animum
invasit, cum quoquo se convertat, fugam & trepida-
tionem

tionem circumferre. Ob oculos vobis, Auditores, foedum illud lupanar & parricidii monstrum, Tacit. l. XV. Neronem, ponite, qui cum Vestæ aliquando tempus Annal. cap. plurimum ingressus, repente cunctos per artus tremens, XXXVI. seu Numine exterrente, seu facinorum recordatione, nunquam vacuus, deseruit inceptum, quod cogitabat. Uti hinc externis exemplis, vanum atque non necessarium duco, cum, quod ipsi in vestris vultibus vidimus, secretis querimoniis detestati sumus, adhuc in animis hæreat. Quare par est, ut Immortali DEO gratias, quantas maximas animus noster capit, agamus, laudesque pro tanto, quod in nos contulit beneficio, persolvamus, quod hostium impetus fregit, patriam liberavit, & nos omnes, felicitate non exigua beavit: Eumque assiduis flagitemus precibus, ut Torgensium non tantum, patriæ dulcissimæ & charissimæ, id munus, sed universæ Misniæ, sed universæ Germaniæ, imò, nisi improbum hoc votum sit, Europæ universæ, proprium faciat. De qua re, cum verborum aliquid facere mecum constituerim, Auditores, metuo, ne, cui tacere licuit, eundem jam non doceat loqui: Neque enim perfectum quiddam, & omnibus, quod dicitur, numeris, absolutum aliquid affero: non eruditas literas, atque ingenium, quod nullum esse in me fateor, vobis præstare possum. Dabitur tamen aliquid juventuti, quæ potius minari præclara, quam præstare solet: Dabitur etiam pietati aliquid; nam in communi patriæ liberatæ gaudio tacere, impietatis interpretabar partem.

Cum post tot rapinas, incendia, cædes, aliaque plus quam Stygiæ crudelitatis exempla, nos adeo in
pacem

.VXI
IVXXX
pacem propenderemus, ut quovis eam pretio cupe-
remus impetratā, perq̄; tot vehementissimas obte-
stationes, per tot Legationum immensos sumptus,
pacem coire æquis posse legibus, speraremus: nul-
lus tamen his fructus constitit, omnis de ineundā
inter partes concordia intercepta spes: continuare
amplius, adjectis ad Germanicas legiones, totius Se-
ptentrionis viribus, bella, regioni huic deterrima,
& non nisi armorum laboribus, ad securitatem, ac
quietem contendere posse, solamq̄; internecionem
alterutrius gentis finem bello fore, tutius existima-
tum. Hinc facies illa foeda, cum conclamatis to-
ties, & tantum non perditis rebus, tantā mole op-
pressa, in discrimen suum agebatur patria; cum tot
opprobria, tot gemitus, lachrymaeque, in partes ejus
convocabantur. Erant eo tempore non ita validæ
res nostræ, stabant certè in præcipitio omnes, & non
magis de libertate, quam servitute; non tam de for-
tunis, quam vitā ipsā solliciti eramus, quæ quidem,
qualisq̄; futura esset, facile sanè perspicendum erat,
si Schmidebergenses nobis proposuissent, vel
Zahnenses, vel vicinos denique pagos, villasque ad-
huc fumantes, perq̄; tristes viduarum ac pupillorum
ejulatus, cœlo Deum ultorem invocantes. Nobis
tamen non intelligebantur, immemores alienæ ca-
lamitatis, quam etiam ultrò in remedium expetere
debeamus. Equidem, si eâ fide, & æquitate, bel-
la susciperentur, aut suscepta, post successum mode-
rarentur, quâ aut virtus fortissimos quosque, & ho-
nesti amantes, aut egregii animi spiritus incitat, quod
de Romanis suis Floro placet, verissimum & sanctis-
simum illud prudentissimi, fortissimiq̄; Imperatoris,
Persa-

Perfarum Regis, Cyri, effatum foret, qui *pulcherrimam, & honestissimam rem bellum gerere*, existimavit: Sed atrociam hæc, & plus quam civilia bella, quibus, prohi Deum! conflictati sumus, manum injiciunt, quippe, naufragia miserorum civium, flammæ, cruce, tormenta, & quod aut hostis excogitare amplius, aut miseri timere possunt, quos equuleos, & tantum non carnificinas portendunt? Domesticis his uti exemplis, antiquitate credo, invitâ, audeo, cum, qui primùm in amicitiam esse consuevit, hostem quoque eundem habeamus; quicquid religioni quondam ducebat, jam ad invidiam propè omnium in terris gentium, impunè habet, eaq; omnia sibi concedit, quæ aut libido, aut indignatio suadet, erga homines, erga Deum securus. Non verò uno in loco furor iste stetit, sed brevissimo temporis spatio, turbinis instar, totam Saxoniam, totam Misniam peragratus, nullam ferè ditionem, nullam urbem non invasit, & aut omnes violentæ multitudinis insolentiam tolerarunt, aut ne etiam tolerare cogentur, agrè, oppositis armis, averterunt. Et jam tot exempla, tot documenta religionis Christianæ hostibus, tantum abest, ut scelus, & ardorem excutiant, ut potius majore vi, & audaciâ, denuò hæredes, atque indubitati successores evadant. Virtutem equidem in hoste quandam miramur, (neque enim expectatis, credo, ut homo animi planè abiecti, verbis hosti, aut dicteris detraham, quod & Adversariorum confessione obtinuit,) quod de Scipione, & Hannibale ex *Floro* discimus, & de Othonis militibus *Corn. Tacitus*, Prudentissimus Scriptor, prædicat; & si ad propiora veniendum, fortunam quandam &

Xenoph. lib. III. Kueg-παιδ.

Lib. II. cap. VI. inf. Lib. I. Hist. c. LXXIX.

C

suc-



Seneca Herc.
Furente a. II
v. CCCC
LXXV.

successum, cuius præclaro documento Erffordia esse potest, quâ, asperrimâ bello manu, aditum vix dum reclusit, & totâ simul regione potitus est: nam quod fidē apud nos minuit, prius imminētē nobis, quàm captam urbem sensimus: Sed vix sustineo, quin illis æquiparare audeam, qui sibimetipsis similes, blandiente sibi, & mediocri successu aspirante fortunâ, elati, aliorum virtutem infrâ se despiciunt, & aut superbius, quàm par erat, se gerunt. Usque ad eò, uti non omnem frugem, neque omnem arborem, in omni agro reperias: ita non omne facinus in omni vitâ nascitur: Et illud locum hîc habere puto, quod

Amphitruo apud Tragicum ait:

Post multa virtus opera laxari solet.

Vix dum superata Erffordia, cum fines nostros ingressa infesta agmina, gens, quæ, ut immodicâ virtutum suarum æstimatione, ipsam interim egreditur; ita elata non nihil, cum sæpè aliorum interneccione felix evasisset, & nobis perduellionum, ut interpretari ipsi, nomine, victricias alas ostentabat. Videbatur nobis, Romanorum terror, Hannibal, per fluentem glaciem, & nivem, per asperrimas rupes, & saxa, ubi nemo militum consisteret, non minus pedibus ipse hæreret, aut lapsaret; è frigoribus, ex ipsis rupibus, & ferro medio, universum agmen suum, tanquam tempestatem quandam, in fines nostros effudisse. Omnia jam obtinebat, ut jam solus posset, quicquid vellet, nisi quòd dissimulare ad speciem interdum mallet, quantum posset. Dux, ex eadem gente, *Bannerus*, non minus famâ, & audaciâ, quàm militandi vetus, nobilissimo Succia loco natus, audaciâ militari nobilior, promptus consilio, manu
stre;

Strenuus, experimentisq; nulli secundus, etiam eorum, à quibus victus, confessione. Multa sub Rege Pientissimo prosperè gesserat, magnis interdum præpositus velitationibus, & exercitiis. Adhæc militaris disciplinæ diligentissimus custos, nisi aliter expedire videretur; bello, quàm pace melior, vincere magis, quàm victoriam regere. Nunquam temerè, quod sciam, fortunam in discrimen vocavit, maximâ cum ratione consilia secundis eventu præferens, dignus planè, qui non degeneraret à Regis Gloriosissimi, cui charissimus semper, moribus, nisi egregias naturæ dotes, turbidissimis temporibus corrupisset. Hunc, simul ac fines nostros ingressum accepimus, simul per totos dispersi campos latrones videbamus, possessores genuinos de sede pellentes, & sanè, si quos miseros, sinistra, & infausta fuga, illorum faucibus objiceret, spoliandos & exuendos, primùm immaniter tractabant, postea tanquam piaculares victimas, suæq; jam devotas pesti, iræ atque ultioni destinatas, & tantùm non maculatas, innocuo sanguine iræ & cupiditatibus suis litantes, quippe, qui vivere inter arma, non nisi sanguine, aut per mortes miserorum, nefas putabant: Plerique inter arma pavidè, fugaces, illos non homines, sed tanquam sanguinarias, & obscœnas beluas, non nisi ad cædes, & perniciem suam, sciebant ingressos, & odium, quod antea condiderant, ut in vindictam jam promant, expectabant, quorum dicitatem neque verbis quisquam satis execrari, neque cogitatione aut sensu penetrare potest. Adeò difficilè est hominibus, conceptum semel odium exuere, cuius nullus est modus, cum semel terminum transierit.

Vix equidem ab infesto Christianorum hoste, im-
manius quicquam expectes, ut jam non sit, unde suc-
censere barbaris jure debeant, cum irruerunt, & cæ-
de, ac incendiis, patriam vastarunt, Hungarorum,
Vandalorum, Sclavorumq; arma ostenderunt. In-
terim in pejus quotidie dilabi res nostræ, & retrò
sublapsæ referri; Præsidia nostrorum, plerisque in
locis, quibus infederant, aut expulsa præter spem, aut
necessitati cedentia: Tùm, in omne nefas protinus
itum est, dispersæ, & palantes per agros cohortes,
spoliare, rapere, non profano, aut sacro abstinere sa-
crilegas manus, & quod quisque viderat, in vota tran-
sibat: omnia, quæ reperiebantur, aut rapta, aut con-
sumpta, avaritiam tamen satiare non potuerunt!
Tùm totis campis miserabile agmen cerneret, pars,
obliti præ metu unde irent, quo tenderent, pars, in-
fausto cruore madidi, vix semilacera, & ægra sustine-
bant membra, universo aere, & cœlo patriam cir-
cumscribentes, sub quo quamdiu versarentur, domi-
se esse existimare necesse habebant: pars, conju-
gum, liberorum, aut proximorum sortem misera-
bantur, de suâ incerti. Illos canes venaticos dixis-
ses, ita odorabantur & pervestigabant omnia, ut, ubi
quicquid esset, aliquâ ratione invenirent, aliud pol-
licendo, aliud minitando, aliud denique extorquen-
do, adeoque nihil faciendo, nisi quod nobis displi-
ceret. Tùm denique miseri intelleximus, nondum
obiisse Tiberios, Claudios, Domitios, non minora
humani generis detrimenta, quam inundationes po-
pulorum, aut terrarum conflagrationes, adhuc vi-
vere, adhuc regnare, & habitare in animis hominum.

Suet. Vitell. Adhuc patriæ incendiarios Vitellios, Ilii ἀλώων de-
libo c. XVII. cantan-

cantates Neronis audivimus; quãquam victos post-
cã delictorum conscientia exitum sibi quaesivisse.
Obruerat & tempestas illa patriam charissimam, in-
fausto sanè, sub novi anni initium, omine, quæ satis
gravis, luctu eam variè affecit, & initidò satis ostendit,
non prohibere quenquam fatum posse, quod immi-
neret. Vix Calendæ Januariæ illuxerant, cum ecce!
præsidiarii Eulenbergenses, tanquam panico terrore
acti, trepidationis ac metûs pleni, Torgam advene-
runt, unaq; fulmen illud bellicum, tanquam rapidif-
simas undas secum attraxerunt. Miratio primo aspe-
ctu oppidanos adduxit, ut amicos adventare crede-
rent, & nullâ ne cogitatione quidem, adigi poterant,
bellum advehi: plerique vanos esse rumores, & in
speciem, ut terrerent, compositos, augurari, fieri
non posse, ut strepitum tanti exercitus, velocitas fa-
mæ non præveniat, paucorum hanc colluviem mo-
mento temporis dissipari posse. Quanquam longè
alius vulgo sensus, quicquid in tristiore parte
metus suggesserat, secretâ æstimatione librabat, po-
tentiores esse, quàm ut timeri non debeant. Vix
dubitare equidem ausim, quin deleri potuisset exer-
citus, si quis fatigatis, atque incompositis, & nihil
hostile metuentibus, vim inferre ausus fuisset. Haud
ignari intereã, exigua quamvis principia, si neglexe-
ris, incrementum & robur sæpè magnum morâ ac-
cipere, per muros cives promiscuè & milites dispo-
nunt, & festinatis operibus, quantum possunt, sese
muniunt, cum urbem turmatim accedere hostis, &
in muris quos viderent, percunctari & suadere, fa-
cerent, quod consequi possent, nec postea peterent,
quod consecuti jamdum essent: quem, per muros,

*Idem Nero-
ne cap. 119
XXXVIII.*

*III. Non.
Jan.*

Prid. Non.
Jan.

& suburbia collocatus miles, sclopetis excepit, cum ecce! totum exercitum adducunt Duces, efficacissimas concludendi rationes, & ad sui arbitrium urbem dedi jubent, quæ, seu quia oportunitas loci arridebat, seu quod opportunum trans flumen transitum præberet, sedes belli electa, mox patuit, cum potentem sibi illum populum videri testata est.

III. Non.
Jan.

Postero die præsidium ad VII. ferè millia, & quod excurrit, deductum, ubi quid ultimum in libertate esset, aut primum in servitute abundè sanè didicimus: quis enim libertatem in urbe captâ defendere audeat, aut sine gladiis, scutis, hastis, machinis, totas in fugam convertere acies, quarum tum imago, in vultu, atque oculis, univèrsorum apparebat. Ita, nescio quo fato, egressi præsidarii, duabus aliis Suecorum legionibus locum fecerunt, ut eò majori postea licentiâ XX. Joachimicorum clo tributum exigant.

V. Id. Jan.

hoc mandatum consternati homines miseri, supplicat Duci Patres: *Benevolentia sua famam effecisse, ut se fortunasq; suas, adeoque totam urbem ipsi crederent, se quidem omnia seriò expendisse, neque modum invenire potuisse, quo satisfacerent, exiguam admodum urbem esse, nunc si tributum intolerabile flagitet, publicam paupertatem fore; quamobrem orare enixè, ne hanc spem tot miserorum profligaret, neve graviter afflictos magis premeret, se quidem in regias partes fidei certos, & obsequii semper vixisse, quicquid contra videretur, à necessitate expressum, sat fidem ipsi olim approbasse Saxoniam, à qua nuper, si aliquantum deflexisse videretur, injuriam temporis, quam malitiam suam putaret, etiamsi rebellionis crimen contra eum obtendatur. Ita verò omninò existimaret, vota pro salute ejus habituros.*

Ille verò respondere: *Mor- dum*

dum quidem sui, res secundas atque felicitatem sæpe non habere, sed nec rigidum adeò se, inducerent animum, ut crederent, benevolentiam suam satis illis obstrictam putare, nec crudelem adeò, ut clientes perditum tam inclementer vellet, & de summâ VIII. Joachimic. clo remittere, hæc verò eum in finem postulari, ut exercitui suppeditari necessaria possint. Nec minus tamen interea III. clo Joachimicorum in campanarum redemptionem à Ludovico Torfensonio, armaturæ præfecto generali, soluta. Denique XVI. Joachimicorum clo duarum legionum stipendium postulata, in eum credo finem, ut extrema omnia paterentur, contumelias, atrocitas, ut quodvis flagitium impune esset. Sed literis aliquot deprecatis, responsum accipiunt, modestiorem futurum militem, à quo si recedat, in promptu pœnam fore, etsi tamen ille non minori postea licentiâ grassatus: Hinc ut evaderent iram ejus, & tot militum imminentem insolentiam, quibus animus per stipendia promissa ferox, & occasio tantum prædæ quærebat, consultum non rati, eundem actorem, & judicem experiri, tributum promittunt, quod eò gravius civibus incubuit, quia, quæ contemnere jam didicerunt, magnoperè tunc admirabantur; sed immitte consilium constanti patientiâ fregerunt. Ita prius exhaustæ ararii vires, mox penitus fractæ & collapsæ, nec minus imminutæ & civium fortunæ, cum ingenti pretio constare sibi vitam, fortunasq; periclitari cognoscerent, cum dignos se & rebus suis hostes judicassent; uti quisque locuples, aut dives judicabatur, quod in manu dominantis esse solet; aut forsitan liberius locutus; ita libertatis suæ vindex, nocens magis, quam improvidus exactor;

IV. Id. Jan.

exactor, nihil minus, quàm culpam deprecabatur. Suspiria, gemitus, lachrymæ, abundè exactæ, quibus pœnas illi ipsi maximè dederunt, quibus ut prodes- sent, non semel advocabantur. Denique, cùm di- vitiis, vitam pariter, atque vota terminari existima- tum est, paupertas in vota transiit; quanquam & hoc non satis tutum, cùm aut operi faciundo, velut ad metalla damnabantur, aut militibus ad ministeria esse, quanquam tristi per initia imperio, cogerentur.

III. Id. Jan.

Hisce rebus exacto quatrduo, Lipsiam, non minus mercibus suis, quàm doctrinæ studiis, per orbem no- tam, iter maturat, eodem impetu, & successu debel- laturus, quo alias plures hæcenus. Sed hæc, tam victricibus armis, quàm constanti animo immorta- lis, felicitati & successibus obstabat, & sævientis im- petum fortunæ, prima retardabat, qui tanquam tor- rens quidam rapidissimus, omnia raptabat, lacera- bat, frangebat; ita, jam immortalitatis nomine, ar- mata quasi, ut suffragium post virtutem amplius nun- quam expectet. Quippe sic omninò existimabat victor hæcenus Dux, homines rudes militiæ, per mollitiem, quam exemplo didicerat, sustinere obsi- dionem non posse, nec pares fore labori militari; præsidarios verò, aliorum exemplo, terrore solo, & adventûs sui famâ, simul tormenta admovisset, di- lapsuros; Sed vir animi elatioris, qui gentem suam nimis extollebat, quàm non rectè de virtute Ger- manorum judicaret, eventus docuit, cùm obsidio, quam dierum non multorum fore arbitratus erat, in tertium mensem protracta est, idq; eò magis, quia Præfecti suos & cives urgere, excitare, instarent, præ- cipitarent opera, ac viri essent, se quidem, quamdiu

vive-

exactor

viverent, & nisi corde perfosso, nunquam ipsos de-
ferturos. Hinc, larga indignatio hosti, sed tamen
nil movere, nec discedere, nisi captâ urbe certum.
Interim Elector Serenissimus, cui de subditorum ani-
mis atque affectu, fidei atque obsequii semper certo,
fatis constabat, & eorum fides, ut impelli, aut in pa-
triam communis amor convelli posset, non magis
expectabat, quàm, ut elementa rerum viribus huma-
nis cederent, literis erigendos, & subveniendum
ipsis ratus, quos hostilis impotentia non leviter sanè
concusserat: *Satis eorum cognitum pridem affectum, &*
nunc reipsâ manifestum, quando tantâ animi constantiâ,
nulli patriæ amore, nulli libertatis studio, secundi, hosti se
opponerent, ad vindicandam patriæ libertatem, eamq; rem
indignè admodum tulisse, subditos, clientesq; obsequi de-
votos, tam immaniter dudum tractatos, & neci, victima-
rum instar, destinari, neque in votis magis quicquam ba-
buisse, quàm, ut felicitatem antiquam restaurare aliquan-
do posset, ideoque non labori, aut impensa pepercisse; per-
sisterent, & tuerentur majorum virtutem, quam vi ho-
stium extinctam alibi cernerent, considerent cælo, ac si spes
omnes collapsæ penitus essent, affuturum è machinâ Deum,
sevitia ultorem. Cùm ecce! seu famâ motus, seu si-
nistro quodam omine compulsus, seu quòd nō satis
fideret rebus suis, tanquam panico terrore actus, om-
nibus relictis locis, liberam undique urbem fecit.
Sed quò graviores iram conceperat hostis, eò in-
clementius postea Torgæ incubuit, & miseræ uni ur-
bi, totum exercitum, cui nullo ordinis ullius respe-
ctu, hospitia sua cives præberent, imposuit, & cùm
explorata illi Germanorum odia, offensæ, dum me-
tueretur, securus, arma omnia, & tormenta cives in

XVI. Cal.
Mart.

III. & Prid.
Non. Mart.

Non. Mart.

XIV. Cal.
Mart.

D

curi-

Frid. Id.

Aprilis.

XVIII. Cal.

Maj.

curiam comportare jussi, arbitrio se offensarum partium permittere, necesse habuerunt. Porro & hoc non omittendum videtur, quod totum Senatum Urbanum, bis comprehensum sub custodia habuit, semel quidem, ob non solum tributum, duabus legionibus promissum, semel, propter pecunias quasdam, quæ eo prætextu postulabantur, ac si, ex solutione hac, non ditioni tantum huic Electorali, sed toti Romanor. Imperio, pax & tranquillitas acquiri posset. Tantâ rabie porro sævitum, ut immania quæque facerent, cæsi plurimi, imminutæ multæ virgines, sub parentum quoque aspectu, & maritorum, sequior sexus pro libidine habitus, direpta omnia, aurum, argentum, vestes, denique qualibet supellex, neque quicquam miseris relictum fuit; quanquam sub id tempus, egregio inter tot probra, & laudabili prorsus justitiæ & virtutis exemplo militem quendam auribus obtruncare jussit, ut in se experiretur sævitiam illam, quam in alios jamdiu exercuerat. Non minus interea nostri foris, quam hostis crudeles, plerosque, quos capiebant, obtruncabant, indigna quidem illa sævitia, sed exemplo irritata: agrestesq; quam plurimi, audaciâ tuti, quam silvis abdiderant, unde manu factâ in obvios quosque irruebant, & eâ, quam passi erant, immanitate hostem laceßebant. De reliquis multa alia in promptu erant, quæ addere possem, nisi quosdam esse scirem, qui ne hæc quidem satis æquo animo audirent; cum & illi, qui supererant, quod traherent spiritum, ac morarentur in vitâ, pœnæ propemodum, ac supplicii genus interpretarentur. Nihil tamen miraloquor, & apud posteros, si qui adhuc futuri sunt,

maxi:

III. & IV. Nov. Mart.

XIV. Cal.

Nov. Mart.

maximam inventura fidem, cum non minus felicitate ferâ, quàm clade immortalem patriam oculis usurpare dignabuntur; cum nudata arva solitudinem suam moerentia, cum urbium tecta, sanguine squalentia, aut & tot cadaverum, tot corporum, quæ semiuista, lacera, miserabili conspectu, veterum incolarum vicem supplent, aspicient: quippe, domus antiquis possessoribus desertas, aut ereptas, fastidio novorum dominorum delassatas, & adhuc lugentes, ipsi facile credent. Unum, hoc scio, cædes, stupra, raptus, & nescio, quos malos potus, seu potius cruces, & quicquid denique triste, crudele, asperum, aut tumidus audet victor, aut victi expavent, vix credent, de quibus ne dubitare quidem debent. Postremò, si quid superest, nec exemplum aliis, nec his aliud, quàm suum reservamus, quanquam vel ipsi Scythæ, & quicquid ultra Septentriones ipsos magis barbarum habitat, ingruant, foediora tamen crudelitatis exempla vix designare possent, quibus, aut magis mori posse, aut ne mori possint, discerent homines. His miserè exercita fatis patria, excita potius sedibus suis, cum suo sibi lare, & penatibus migrare, & infaustum relinquere solum, novas sedes, & exilia inventura, potius duxisset, nisi & ab hoste manumissionem nemo expectaret, aut forsitan clam quidam, ac timidè, ut infelicia mancipia, elabi non auderent. Sic domi, sic foris crudelis hostis, nihil clausum, nihil invium victori, semel intellecto, se animis formidatum, omnia metu suo expugnare posse. Jam vicinis, jam Misensibus, idem fatum parabatur, in quo, tot crudelitatis exemplis delassata veluti fortuna, Colophonem imposuit. Ita infelix patria propè

XV. Cal.

Jun.

direpta, & tantum non incensa, & oblitterata fuit, cum XX. totos menses quidvis passi, nec spes ulla miseris reliqua; cum tanquam e machina Deus, subito casu oppressos, liberat, & victorem tot mensium dies una cedentem, & fugientem conspexit. Sed nolo ulterius odiosa & penè ad invidiam usque provecia narratione, vestrum premere silentium, Auditores, & presentium gaudiorum, cum ad domos suas quisque revocatur, interrumpere cursum: Dabitur igitur veniam, si propositum cursum paulisper inhibere, & a meta aberrare, presentiumque quibus fruimur commodorum, ad praeteritorum calamitatem leviter reputare audeam: non equidem delectu aliquo, aut conquisitione, sed ex illis, quae sponte se offerunt, aut ut aliud ex alio in mentem incidit. Superat equidem, & longissimo intervallo superat labores, calamitatesque, quas quidem haecenus immensas perpessi sumus, multitudo beneficiorum, quorum quoties recordamur, ipsa magnitudo fateri nos cogit, omnia illa, quae consecuti haecenus sumus, benignissimo Numini accepta referre debere. Contemplor animo diem illum, qui simul ac diritate & inclementiam suam, universa in nos effudisset fulmina, horridus nobis ac funestus, patriaeque videbatur, qui cum fastis eximi non possit, moerentis imaginem patriae, seu cadaver potius circumferre duxit, in quo quantum omnes amiserunt, tantum nunc omnium expositum oculis, luce fulgere meridianam clarior, omnes perspicimus. Hostis moenibus, urbibus, adeoque toti regioni inharebat, impendentia pericula tam deficiunt jam, quam inusitata iis erant, qui experiebantur: mala cuncta focus, aris, delubris depulsa.

depulsa, omnes machinæ, omnia consilia hostium,
ac fabricæ turbata. Vidimus tot matronarum, tot
virginum stupris quæque compleri: Jam virgines,
jam matronæ pudicitiam tuentur, florent. Vidimus
fumo evanescere pleraque, per agros solitudinem,
per urbes quoddam quasi perpetuum justitium, se-
miusta & inculta squalere arva; jam ad sua quisque
redit, agricolæ spem anni recolligunt. Quod modò
servitutem nostram emebamus, patriam, parentes,
liberos, opes, aut quæcunque in terris æstimantur,
querebamus; jam, ut quisque videt, quicquid con-
secutus est, aut adhuc sperat, intueri arbitratur, quæ
aut restituta jam sunt, aut imposterum promittun-
tur. Nulli simulare, aut vultum fingere, nulli ti-
mere, quæ adhuc sperat, quod timere possit:
Nullibi necessitas illa, nisi quatenus felicitate ad-
dicendum impellimur. Etenim si illis, qui in cœ-
co aliquamdiu, horridoq; carcere, inter miserorum
gemitus ac lachrymas demersi, & non nisi oblivione,
aut morte finem imponi, facile persuasi, aut immiti-
bus addicti dominis, metu ac suspicione insperatò
liberantur, mirificè gratulari sibi, & modis omnibus
triumphare contingit: quid, quæso, aliud, de Tor-
gensium fortunâ ominabimur, quibus præter spem
& expectationem, quicquid miserorum quisque à
DEO posceret, nec amplius speraret, adeoque ex-
optatissimum libertatis nomen obvenit? Annon,
cùm subjugatis libertatem, pulsis & ejectis patriam,
spoliatis patrimonio & dignitate, locum pristinum,
vicinis animum, & spem, mortuis vitam restituta vi-
dent, exultare, & modis omnibus lætari conve-
niat? In hac verò publicâ, illisque ipsis propriâ,
qui ejus memoriâ adhuc trepidant & pavent, læ-

titiâ, quidam, cum applausu & delicatis acclama-
tionibus, felicitatem illam extollunt, pietatem inte-
rim egrediuntur, quos aut inscitia, aut incogitantia
excusat, ne de suo, aut omnium dolore cogitent, o-
mnium commiseratione digni. Alii, sexui imbe-
cilliori, virtutum parùm habili, similes, lamentatio-
nibus, affectum humanum exuunt, & plùs quàm eju-
lantes, post inflictum vulnus, vitam & animos sarci-
endæ huic cladi impendunt, voluptate eâ & spe exu-
ti, quibus longè majora sibi pollicebantur, Numen
vindicatori, hoc ipso, suâ se quoque, quæ immensa
est, felicitate indignos profitentur. Neutri satis re-
ctè: Quod si fortunæ aliquid tribuendum putatis,
Ignavi, multò magis movere debet, quòd ad eam
ipsam, non desperatione aliquâ, sed hostis violentiâ,
compulsi estis, quod res ipsa vobis persuadere potest;
nam hoc aut non parentem omnium Deum; aut
non satis rectè curam gerere mortalium, statuitis.
Impiorum hi & tantum non insanorum strepitus ac
placita sunt, quib9 aut illis, qui ad gubernacula Reip.
sedent, maledicere, aut illud, quod mutari non pot-
est, impatienter ferre malunt; ac si ipsi non aliqua
pars, & tantùm nō causa & origo interitûs, aut quasi
Deo protectore & præside nostra hæc omnia non
gubernarentur; qui, ut initia, ita bellorum progres-
sus moderatur, regna tradit, quibus visum est, ac eri-
pit, comminuit aut firmat. Præclarè enim Theba-
nus vates, Diis convitari, odiosam sapientiam esse
pronunciavit. Animi abjecti, humilis, depressi, pue-
rorum non virorum quæstiunculæ haud necessariae
sunt. Quæ, cùm semel animis hominum insedit
pestis, sua interesse, ut conservetur, existimat, & quod
fieri

fieri sæpissimè consuevit, validissimis, suffulta ratio-
nibus, invitis ac nolentibus eradicatur. Caterùm
cùm neque pietatis nostræ intersit, quâ ratione se
componant alii, videndum potius, ut quantum ple-
rique inscitix, seu potius impietatis specimen dedê-
re, tantum nobis pietatis, & virtutis constet ratio.
Quemadmodum verò ipse lucis parens, Sol, nun-
quam pulchrior, & majori cum desiderio aspicitur,
quàm cùm cadit, & largiter se condit in tenebras:
ita in iis rebus, quarum præstantia animum homi-
num occupare solet, nihil magis, quàm extremum,
solidâ voluptate perfundit; itaque & calamitatum
omnium, quibus obruti fuimus hæctenus, aut post-
hac perpeffuri sumus, finis pariter ac fructus, plus
semper spondet omnibus, quàm aut præstitit, aut ab
alio adhuc expectatur. Vix verò, absque calamita-
te homines, pertinacem, & aliter, quàm par est, de
DEO sentientem contumaciam exueremus, quæ
tantùm abest, ut extrema minetur, ut potius erigat,
ut rursus deprimere possit. Credo, & quòd præte-
ritarum calamitatum memoria, multùm ad præsen-
tium gaudiorum pleniorum perfectionem faciat:
Non enim rectius nostra intelligimus bona homi-
nes, quàm tunc, cùm iis aliquando caruimus; quod
Oratorum Principi in mentem venerat, cùm scribe-
ret: *Tanquam bona valetudo jucundior est iis, qui è gra-
vi morbo recreati sunt, quàm, qui nunquam agro corpore
fuerunt; sic, ea omnia, desiderata magis, quàm assidue per-
cepta, delectant.* In hoc verò universo non unum
morbi genus est, infinitis laboratur, cùm non aliter
heroes Supremo Numini asserantur. Et tantùm ab-
est,

*Orat. ad
Quirit. post
Redit.*

est, ut dolcamus, ut omnia potius ferre, quam succumbere dolori debeamus; gnari eundem semper retinere vultum, in rebus prosperis, ac in adversis, eventura, tanquam ad fatorum seriem admissis, superari. Quod si quis existimat, facilius regionem totam, quam urbem unam, tot mensium victorem exercitum aluisse, aut non minori periculo defunctam, quam illatam injuriam? Non tamen satis causæ est, nam, quod homines decet, ferimus, quod omnes ferre possunt. In eo tamen felicitatem aliorum, multis parasangis antecire videbimur, qui semel de fortunâ deciderunt, è longo illo fulgore, ne tantum quidem superest, quod ingenuitatem sermonis alat. Utinam verò id, quod omnibus commune est, nobis saltem negatum esset, qui & omnium casum lugemus, & cum iis nostrum. Quicquid tamen securitati nostræ patuit hætenus, hoc die evasimus, hostem verbis vindicaturi, quem armis jam vidimus: Bellum fugimus, ut patriam servemus, focos & aras, cognatos & amicos, victoriæ præmium habemus: stultissimum quippe est, salutem ex eâ tantum parte sperare, quæ in vulnus duntaxat patet: Et Sipientibus jam olim usitata hæc ratio, ut omnia experiantur, priusquam cum bello mutetur pax; quicquid consilio fieri potuit, debuit, tum effectum quoque est, cum potuit: quod jam restat, in linguâ habemus. Det fortuna regna vel eripiat, aut in regno suo, quantum volet, ludat; nunquam tamen egredietur limites, quos ipsa sibi proposuit. Etenim uti nemo satis sibi prospicit, qui, quod nemo reddit, sibi ipsi invidet; ita nemo satis tutè agit, qui quod omni-

mnium, ac suum arbitratur gaudium, suam interesse non existimet, ut extollatur, ne fortunam illam totidem deploret, quam nunc admiratur. Verum enimvero tempus requirit, ut finem faciamus verbis, nunquam facturi memoriae, nunquam recordationi beneficiorum, nunquam gratitudini. Unum hoc restare videtur, ut aut perpetuum hoc gaudium sit, aut quod nihil cuiusque expectationi aut votis desit, precari a Deo; cui, veluti ea, quae consecuti hactenus sumus, accepta referimus; ita & ab illo vitam omnibus ac lucem pendere, non homines modo, sed & nationes profitentur. Testis Germania, quae prostrata, ac vix semiviva, majorum spiritus denuo resumit: Testis Misnia, cujus libertas non ipsi magis, quam aeterno Numini curae fuit. Testis Torga, quae non ita pridem, ab infensissimorum hominum potestate emancipata & dominio, jam sub tanto quietis, felicitatisque custode, nihil praeter ipsius iram metuit; quo quidem metu, utinam quam diutissime teneatur. Testes universi adeo, quos, non ita pridem hostium est faucibus ereptos, legibus suis & libertati reddidit: nisi aut quidam jam sunt, qui esse desierunt, quorum animae aeternitati redditae, beatam lucem fruuntur, aut, qui adhuc inter spem & timorem, vota illi credunt; aut & pacis adversa non minus, quam belli clades timentes, poenas, fugas, proscriptiones, quaeque singuli miserrima vidissent, cogitant. In clementiae itaque tuae sinum nos recipimus, Aeternae DEUS, vindicem te, tutorem, patronum circumfistimus, & gratias agimus merito, quippe, abs te factum illud, & est mirabile in oculis nostris: Precamur

E

porro

porrò supplices, ut tranquillitatem, ut securitatem,
ut pacem reddas, quam si dederis, omnia dederis.
Præcipuè serva Illustrissimum & Celsissimum Prin-
cipem, Electorem ac Septemvirum, Dominum no-
strum Clementissimum, unicum regionis hujus, pu-
blicæq; rei custodem, statorem atque vindicem, cu-
jus Illustrissima Celsitudo, odii, atque gratiæ popu-
laris pariter secura, rectam virtutis insistens viam,
non spe aut metu impelli se posse ostendit, & pru-
dentiâ admirabili, patientiâ incredibili, constantiâ
ineffabili, negotii universi molem in se inclinatam,
sustinuit. Defende eam, cum totâ familiâ Saxoni-
câ Illustrissimâ, consiliis ejus perpetuò adsis, ut fir-
missima non tantum præsidia ab eo patria charissi-
ma, sed & incrementa expectare possit, ut cadant
hostes, & terram mordeant, in qua nihil præter ci-
neres & tumulos, cum cadaveribus reliquerunt:
Tuere regiones, quæ gloriam tuam tuentur, res for-
tunasque nostras foveas, conserves; nostramque
hanc Civitatem, hanc eruditionis sedem, hoc sa-
pientiæ domicilium, hoc literarum securissimum
sacrarium, hunc non Saxonix, sed orbis universi ce-
leberrimum locum, cui spes ac vota sua quisque
credit, Academiam hanc, quæ post incendium hoc
recens literatissimorum juvenum, & Magnorum vi-
rorum frequentiâ destituta; tamen tantas res, sem-
perque victuras celebrare, uti sui officii esse putat;
ita studio quodammodò accendi atque ardere vi-
debitur. Curæ tibi sit patria charissima, in qua ni-
hil, præter solos animos, invictum hæctenus fuit,
qui egeni, fame pressi pariter ac siti, soli libertatem
adhuc.

adhuc in urbe captâ, defendebant. Luem, & con-
tagia procul à nobis, qui superstites tot complora-
tis funeribus, salvi & incolumes, inter tot naufra-
gos, morte demersos, tibi ac patriæ reservati sumus,
pelle, quæ non minus animos, quàm corpora ipsa
labefacit, & extinguit. Cultu & obsequio
grati erimus, si plura non possumus;
Tui erimus, dum
sumus.

D I X I.



AK 11e 372

atque in urbe capta, defendebat. In
tagis proci a nobis, qui iuxta
is finibus, salvi & incolunt, inter tot
gos, morte demerit, sicut patet
pelle, que non minus animos, quam
labefacti, & extinguunt. Cuius & obsequio
gran crinus, a plura non possimus;
Tui crinus, dum
linus

D I X I



Handwritten scribble or signature at the bottom center.



h. 87, 20.

Miff
niaëque
Torgavie
à Sue

JOHANN
Dor
Witteberge Ty



Ye
372

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

